1364.

Noverint universi quod Ego Bonanata uxor Petri Guillelmi Massaderii quondam civis Maioricarum gratis et ex certa scientia per me et omnes meos presentes et futuros vendo et titulo venditionis trado vobis Bernardo Savall filio meo et Jacobi Savall civis Maioricarum primi viri mei quondam presentibus ementibus recipientibus et sine
fraude et vestris ac quibus volueritis perpetuo quoddam hospicium meum quod per franchum et liberum alodium habeo et possideo intus civitatem Maioricarum in parrochia sancte Eulalie in vico sancte Columbe Et affrontat ex una parte cum hospicio Johannis Ebrini et ex alia parte cum hospicio domine Turtuse et ex aliis
[partibus] in duabus viis publicis. Predictum itaque hospicium [illegible] sicut est confrontatum cum omnibus introitibus et exitibus terminis tenedonibus et pertinentiis suis solis et suppositis terris parietibus et fundamentis januis fenestris lucernis et longius aspectibus tabulis et eminentiis introitibus et exitibus suis
et generaliter cum omnibus aliis et singulis ad predictum hospicium pertinentibus et pertinere debentibus aliquibus juribus sive modis de celo in abissum vobis dicto Bernardo Savall filio meo et vestris ac quibus volueritis perpetuo vendo et titulo venditionis trado pro precio videlicet ducentarum librarum monete Regalium Maioricarum
minutorum quas a vobis habui et recepi numerando Renuntians exceptioni non numerate pecunie non habite et non recepte et doli Et legi que subvenit deceptis ultra dimidiam justi precii Et si plus valet hec venditio vel amodo valuerit precio antedicto totum illud plus valens quicquid et quantum sit
vobis et vestris dono ad imperpetuum et remitto Constituens me predictum hospicium quod vobis vendo vestro et vestrorum nomine possidere donec inde possessionem corporalem apprehenderitis vos vel vestri quam liceat vobis et vestris apprehendere et adeptam retinere auctoritate propria quandocumque volueritis et adeptam
perpetuo vos et vestros perpetuo retinere Et titulo seu ex causa venditionis huiusmodi do et cedo vobis et vestris omnia loca mea et jura voces vices rationes et actiones reales et personales mixtas utiles et directas ac etiam persecutorias et alias quascumque michi et meis in predictis competentes et com-
petentes ac debentes competere quoquomodo Constituens etiam vos et vestros ibi et inde dominos et procuratores in rem vestram vosque et vestros in hiis pono in locum meum ad agendum excipiendum utendum et experiendum in judicio quocumque et extra etiam et ubique habendum tenendum et in pace omni tempore
possidendum dandum vendendum cedendum impignerandum et aliter alienandum et inde faciendum perpetuo per liberum et franchum alodium vestras et vestrorum omnimodas voluntates Conveniens et bona fide promittens vobis dicto emptori et vestris quod predictum hospicium quod vobis vendo per liberum et
franchum [illegible] faciam vos et vestros [illegible] habere tenere et in sana pace perpetuo possidere contra omnes personas Et teneri inde vobis et vestris firmiter de evictione et omni dampno ac etiam interesse litis et extra ita videlicet et in specialiter quod si umquam in predicto hospicio seu parte ipsius
per aliquam personam extraneam vel privatam cuiuscumque conditionis existat contra vos vel vestros fieret seu moveretur questio aliqua petitio vel demanda in judicio vel extra aut aliquid attemptaretur fieri quo jus vestrum videretur quod in aliquo posset ledi mox opponens ego et mei vestri et vestrorum
deffensioni et [illegible] vobis et vestris respondebimus et satisfaciemus omni querelanti et agenti in judicio et extra et in nos suscipiemus causam seu lites et omnis litigii et ipsam causam seu lites ducemus et deffendemus ego et mei nostris tamen propriis sumptibus et expensis a principio litis usque ad totalem diffi-
nitivam sententiam a qua non liceat ulterius appellari vel si vos et vestri ipsam causam seu lites ducere volueritis hoc sit in electione vestri et vestrorum ego enim et mei semper vos et vestros indempnes et restituemus vobis et vestris omni exceptione et dilatione remotis omnes missiones sumptus et expen-
sas ac etiam dampna et interesse quas et que ibi feceritis vel sustinueritis ducendo vel examinando dictam causam et litem sive obtinueritis sive etiam succubueritis Super quibus dampnis missionibus et interesse credatur vobis et vestris vestro solo plano et simplici verbo nullo juramento nulloque probationis genere
requisito nec teneamini etiam vos vel vestri michi vel meis questionem aliquam vel demandam denuntiare seu aliqua in predictis contra vos et vestros ab aliquo moveatur quod ipsa denuntiatione facta vel non facta teneamur ego et mei vobis et vestris ex pacto de evictione et omni dampno ac etiam interesse omnium
predictorum Volo etiam et pactum vobiscum facio quod ab aliqua sententia si qua in predictis lata fuerit contra vos vel vestros non teneamini appellare nec ego vel mei possimus in super adventari [illegible] juratorio seu judicis jurisprudentia allegare aut quod in predictis vobis injuria facta fuerit seu
[illegible] in eisdem vos vel vestri negligentes fueritis vel remissi Et ita hec omnia et singula que inter me et vos sic acta fuerint pacto et conventione Renuntians scienter quantum ad hec legi dicenti quod emptor debet et tenetur moram ponere de [illegible] et dicere venditori
[illegible] venditor de evictione rei vendite non tenetur Pro quibus omnibus et singulis sic complendis et firmiter attendendis obligo vobis et vestris omnia bona mea mobilia et immobilia ubique habita et habenda Actum est hec Maioricis septima decima [illegible] Madii anno a nat-
ivitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto Signum Bonanate predicte que hec laudo et firmo.

Testes inde sunt Guillelmus de Pulcro Vicino Georgius Orsinay et Anthonius Roma scriptor

Signum [illegible] mei Raymundi Cunilli notarii publici Maioricarum qui hec scribi feci et clausi.

1364